

His sex virtutibus concionis sacrae opponuntur totidem vitia, nempe falsitas, indecentia, leuitas, inefficacitas, obscuritas & prolixitas; quae omni studio Ecclesiasticae sunt fugienda, sicut est contratio virtutes jam recitatae pro veste & purpura orationis Ecclesiasticae sunt habendae, juxta hos canones. 1. Omnia verbo Dei debent esse analogae. 2. Ipsi Scripturae verbis, quantum omnino fieri potest, est loquendum. 3. Nihil detruncate, aut mutilate, sed solide omnia sunt tractanda. 4. Eadem in concionibus saepe sunt repetenda & inculcanda. 5. Concio debet esse methodica. 6. Non doctis, sed rudioribus concio est attemperanda. 7. Caute, proprie, & perspicue loquendum, vitata omni obscuritate & ambiguitate. 8. Non captanda est aura popularis, aut ingenij ostentatio. 9. Concio non debet nimis excrescere, ne forte tedium & fastidium auditoribus creet, vel memoriam eorum copia rerum obruat. 10. Nihil citandum est, quod sit falsum, fictum, fabulosum, aut saltem dubie fidei. 11. A concione abesse debent omnia, quae leuitatem sapiunt: cuiusmodi sunt joci, ridiculae narrationes, formulae dicendi leuiore, prouerbia infusa & scurrilia; & imprimis canina, seditiosa, & rabida illa maledicendi, conuiciandi, insectandi & damnandi alios libido: quae omnia aduersantur Spiritui Christi, quem concio tota, quanta quanta est, exprimere debet.

## CAP. V.

## De Inuentione thematis.

## P R A E C E P T A.

**M**edia, per quae Rhetor Ecclesiasticus finem suum potest assequi, sunt triplicia: alia videlicet ante promulgationem concionis, alia in promulgatione, alia post promulgationem.

Media ante promulgationem concionis sunt formatio seu apparatus, & impressio concionis promulgandae.

Formatio concionis absoluitur inuentione dispositione, & elocutione Ecclesiastica: e quibus inuentio & dispositio spectatur in rebus, elocutio in verbis.

Inuentio Ecclesiastica est artificialis excogitatio rerum, de quibus, & ex quibus concio sacra est conficienda.

Estque vel thematica, vel argumentosa.

Inuentio thematica est, qua thema concione sacra tractandum, ex Scripturae textu eruitur.

In themata spectatur natura & delectus.

Natura thematis cognoscitur ex reductione & caractere ipsius, & ex cause genere.

Redu-